

15.

17

C. D.

AVSPICIIS

RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINI,

DN.

FRIDERICI AVGVSTI,

ELECTORATUS SAXONICI HEREDIS
ETC. ETC. ETC.

SUB

1709

25

MAGNIFICO PRO - RECTORE,
DOMINO

GOTTLIEB WERNSDORFIO,

DOCTORE THEOLOGIÆ CELEBERRIMO,
STIPENDIATORVM SAXONIC
EPHORO VIGILANTISSIMO,

SOLENNIA DOCTORALIA,

D. XXVI. APRILIS. A. E. C. MDCCLXIX.

WITTENBERGÆ IN TEMPLO ACAD.
PVBLICE CELEBRANDA

INDICAT, HOSPITESQVE OMNES ET SINGVLOS,
DECENTER AD EADEM

INVITAT,

CASPAR LOESCHERVS,

SS. TH. DOCTOR, EJVSQVE PROF. PRIMARIVS,
FACULT. SVÆ, VT ET CONSIST. ECCLES. SENIOR, ECCLES.
WITTEB. PASTOR, ELECT. CIRCVLI SVPERINT.
GENERAL. ET ORD. THEOL.

DECANVS.

*Collatus cum Ambrosio Pippingius, quimo
prælatus.*



AVSPICIIS
 RECTORIS ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMI
 UNIVERSITATIS PRINCIPIS AC DOMINI
 ·DN·
FRIDERICI AUGUSTI
 ELECTORATUS SAXONICI HEREDIS
 ETC ETC ETC
 202
 MAGNifico Pro - Rectore,
 DOMINO
GOTTLIEB WERNSDORFIO
 DOCTORE THEOLOGICO CEFERRIMO
 STIPENDIATORUM SAXONICORUM
 EPISCOPO VIGILANTISSIMO
 SOLENNIA DOCTORALIA
 D. XXXI APRILIS A E C M DCCIX
 WITTEMBERGAE IN THEATRO ACADEMICO
 PUBLICO CEFERRIMO
 INDICAT HOSPITESQUE OMNES ET SINGULOS
 DECENTER AD EADEM
 INVITAT
CASPAR LOESCHNERVS
 SS. TH. DOCTOR, DIVINAE PROE PRIMARIUS
 FACULT. SVAE UT ET CONSUE. ECCLIAE SENIOR, ECCLIAE
 WITTEMBERGAE THEOLOGICAE SVPERINTENDENS
 GENERALI ET ORD. THEOL.
 DECANVS

(Handwritten signature and notes)





C. D.



*A*mbrosium, Mediolanensem Episcopum,
Virum pium, industrium, eloquen-
tem, cordatum, fortem, constantem,
patientem, beneficum, a DEO de-
fensum, variisque virtutibus divinis
præditum, in mentem mihi revoco,
dum *Viri Summe Reverendi, Magni-
fici, Amplissimi atque Excellentissimi,*
Domini HENRICI PIPPINGII, *hactenus Ecclesie
Lipsiensis Celeberrimi, & vigilantissimi, jam autem vocati
Concionatoris Aula Regie & Electoralis Dresdensis Primarii,
nec non Consiliarii Ecclesiastici Spectatissimi,* honores, digni-
tates, & Privilegia, quibus DOCTOR THEOLOGUS
rite, recteque proclamatus, frui & gaudere potest, &
quibus ex merito, consensu & approbatione univ-
ersi Theologorum Ordinis in Academia Wittenbergensi,
ornandus est, publice & solemniter annunciare debeo.
Erat Ambrosius Vir pietati *sincere & antiqua* candide de-
ditus. *Coram DEO enim ambulabat, & pius erat. Gen.
XVII, 1.* Eam pietatem non solum in animo fovebat,

A 2

aut

aut verbis prædicabat; sed reipsa & omni opera exprimebat, quod Univerſa ejus vita & facta confirmant. Nec Ampliſſimus Candidatus noſter hac in parte Ambroſio eſt diſſimilis. Imbibit eandem a primis ſtatim incunabulis, partim a vere piis Parentibus ad eam adſuefactus, partim naturæ bonitate ultro eo inclinans, & Spiritus Sancti ductum ſuaviter ſequens. Eam deinceps per univerſam vitam ſtudioſe continuavit, auct, & conſervavit. Dumque in ea, quod vere nobis dolendum eſt, inciderimus tempora, quibus vera & antiqua pietas ludibrio exponitur, negligitur, & damnatur; falſa e contrario & fucata, ſincerae pietatis larva, commendatur, præcipitur, variis coloribus pingitur, laudatur, vehementerque defenditur; tantum abeſt, ut aliorum perſuaſionibus & exemplis commoveri ſe a veritate, ejuſque maſcula deſenſione retrahi, & ad fucatae confeſſionem adſtringi, paſſus ſit, ut potius palmae inſtar in traditione & exercitio verae pietatis factus ſit fortior. Commendatur Ambroſius de induſtria, quam in omni vitæ genere, in acquirenda eruditione non vulgari, in expediendis munerum ſuorum negotiis, in tuenda pace, in deſenſione afflictorum, in malorum depulſione, inque eorum, quæ bona ſunt, promotione, adhibuit. Præcipue autem docet hoc ejus induſtria in cultu divino, in veritatis ſalutaris propoſitione & deſenſione, in ſuperſtitionis abolitione, in libertatis Chriſtianæ vindicatione, inque divini honoris declaratione. Præſtitit illud in juventute, in ætate virili, in adulta ætate. Erat nimirum Solis inſtar die & nocte currens, nuſquam & nunquam quieſcens. *Ut capiunt vitium, ni modeantur aquæ;* ita is ne corrumpetur, ſtudio & induſtria ſua præcavere maluit. Quid vero dicemus de Candidato noſtro? Evin-

Evincunt ejus industriam tot mentis dotes, quas acqui-
fivit, tot illustres labores, quos in Academia & Ecclesia
edidit, tot Specimina, quæ maxima cum laude sua ha-
ctenus apud nos præstitit. Quin imo evincet & propa-
labit eam infinitus pene laborum, periculorum, sudo-
rumque cumulus, quem nunc divinitus vocatus aggre-
di non veretur. Erit, ut speramus, alter Hercules,
monstra domans, stabulum Augiæ purgans, Hydram
Lernæam vincens, Antæum gigantem necans, oppressos
liberans, vacillantes & dubios confirmans. Erit alter
Moses, Fidelis & industrius in univ[er]sa DEI domo Minister,
Num. XII, 7. Erit alter *Boas, qui non prius acquiescet, quam*
opus, ad quod vocatus est, plene confecerit. Ruth. III, 18. *Fi-*
delis & laboriosus erit usque ad mortem, ut vita coronæ ex
gratiosa manu DEI compos evadat. Apoc. II, 15. Et in hac
industria, studio, sudore, & labore tantisper perseverabit,
usque dum Salvator, Jesus Christus, dicat: *Euge serve*
bone, & fidelis, super pauca fuisti fidelis, constituam te super
plura, ingredere nunc in gaudia Domini tui. Matth. XXV, 23.
Laudatur Ambrosius a doctrina, qua pollebat, varia,
humana, divina, Politica, Ecclesiastica, Historica, lin-
guarum notitia, artium, Philosophica & Theologica.
Acquisiverat eam ex singulari DEI gratia per preces, stu-
dia, lectiones, meditationes, collationes, Disputationes
variaque hujus generis exercitia alia. Et apparet illa
ex Scriptis, quorum partem non minimam hodieque,
volente Deo, posidemus, & cum stupore legimus, & ex iis
tam eruditores, quam meliores reddimur. Apparet
porro ex Concionibus, Allocutionibus, Colloquiis, Di-
sputationibus, solatiis, quibus alios beavit, quæque extra
volumina, quæ scripta habemus, ab eodem copiose sunt
profecta. Apparet eadem ex felicissimis illis actionibus,

quas & extra & intra Ecclesiam perfecit, partim etiam
contra Adversarios salutaris veritatis masculè præstitit.
Augustinum, sed quantum hominem! qui potuit con-
vertere, ab hæresi distrahere, ad veritatis orthodoxæ ag-
nitionem, acceptionem, & vindicationem, nec non ad
vitam Deo placentem, permovere, eum omnino oportet
ea, quæ maxima est, eruditione pollere. Candidatus
noster a pueritia id dedit operam sedulo, ut in hac quo-
que virtute Ambrosio non esset dissimilis. Exhibuit
eruditionis suæ, quæ varia & magna est, Lipsiæ & Wit-
tenbergæ, quin imo toti Germaniæ, si non universæ Eu-
ropæ, insigniora Specimina. Habent in eo, quid discant
Concionatores: habent, quid discant Disputatores; ha-
bent, quæ discant discentes: habent profecto, quæ di-
scant ipsimet docentes. Neque enim hospes in lingvis,
aut artibus, aut Historia, aut Philosophia, aut Juris pru-
dentia, aut Theologia existit, sed in singulis eo perve-
nit, ut alios cum fructu docere possit. Et cum a Theo-
logo præcipue requiratur, ut consulere possit afflictis,
ignaris, dubiis, cespitantibus, fluctuantibus, nec in his
imparatus deprehenditur. Quod ad felicem Ecclesia-
rum gubernationem, dubiorum casuum enodationem,
periculorum & scandalorum amotionem, Conscientia-
rum informationem, confortationemque pertinet, id
in promptu habet, dextreque applicare novit. Pro-
stant in publica luce edecumata ejus Scripta, quæ hujus
rei documenta esse possunt, satis abundeque sufficien-
tia. Nimirum *Bezalelem* hunc DEUS aut exornavit jam,
aut porro excellenter adeo exornabit, ut tabernaculum
divinum ad miraculum usque exornaturus & perfectu-
rus sit. Exod. XXXI, 2. c. XXXVI, 1. 2. Id DEUS ele-
menter faxit! Commendatus præterea Ambrosius fuit
ab

ab *Eloquentia*. Quanta eadem hujus Viri fuerit, illi norunt optime, qui non sunt hospites in Historia Ecclesiastica. Vim & efficaciam ejus experti sunt omnes, qui eundem aut in Republica, aut in Ecclesia, aut alibi perorantem audiverunt, & admirati sunt. Quis non stupescat, qui cum cura legit, quo cum successu animos Arianorum & orthodoxiæ adhærentium, hostili admodum animo disidentium, & ad pugnam usque litigantium, mitigaverit & ad concordiam suavi quadam sermonis persuasione redegerit? Et quis hodieque Scripta ejus, quæ ex ingenti numero nobis relicta sunt, attente perlegit, qui suavitate, acumine & argumentorum pondere non permoveatur, ut ultro fateatur, Ambrosium Virum fuisse Eloquentissimum? Quid vero dicemus de Eloquentia Candidati nostri? Loquantur hic Auditores Lipsienses, homines a judicio, discernendi & æstimandi acumine, auditus & palati subtilitate instructissimi. Testimonium, ut mihi certissime persuadeo, exhibebunt optimum. Legantur Scripta, quæ edidit elegantia. Consulantur orationes sacræ, quas partim propria marte conscripsit, partim sub aliorum nomine in lucem produxit, & Eloquentia ejus amœna, grata atque flexanimis affatim apparebit. Quin imo, quænam fortiora fuerunt argumenta, quibus Serenissimus Potentissimusque Rex & Elector Saxonix, Regina Placidissima, Mater piissima, Proceres Aulae Spectatissimi, & omnes, qui adhibiti ad consultandum sunt, permoti, imo quasi coacti sunt, ut hunc præ tot aliis potissimum eligerent, nisi, quod maxime illis placuit insignis eloquentia ejus, quæ aures delectat, animos mulcet, corda flectit, auditoribusque suaviter satisfacit? Unde certa nobis spes enascitur, fore, ut omnibus, qui eundem post-

hac

habebit

hac sunt audituri, mirum in modum sit satisfactorius. Laudata porro Ambrosii *fortitudo* est, qua animatus a DEO, incomparabiliter se cordatum exhibuit, sive agendum ipsi fuit cum Principibus, sive cum Optimatibus, sive cum hostibus, sive cum Adversariis, sive cum meticulosis, sive cum hominibus beluarum more savientibus. Fortitudinem animi in utraque fortuna, in quolibet vitæ sorte, in quolibet temporis puncto, egregie exhibuit. Fortis fuit in bello: fortis in pace: fortis in persecutione: fortis in afflictione: fortis in periculo: fortis in universo vitæ genere. Consulantur de ejus fortitudine *Socrates, Sozomenus & Theodoretus*. Quisquis hos attende legerit, in stuporem vertetur. Patet ex eis delibabimus. Valentinianus junior, a matre Justina in hæresi Ariana educatus, cum nostro super opinione, qua imprudens fuerat imbutus, communicabat, ratus, si eum in suam sententiam traxisset, facile se ceteros omnes superaturum. At vero Ambrosius revocabat ei in memoriam paternam pietatem, & ut veritatem, quam Pater in mortem usque retinuerat, integram servaret, hortabatur. Exponebat ei præterea doctrinarum differentiam, & quomodo hæc cum doctrina Servatoris & Apostolorum consentiant: istæ e contrario ab eadem differant. Imperator seductus ab aliis id pessime interpretabatur, unde templum, in quo degebat infelix Epicopus, peditum turmis circumdabat, non abituris, nisi eum Imperatori obedientem reddissent. Ecce vero mihi Ambrosii fortitudinem! *Non sum, inquit, id facturus, neque ovile ovium relicturus, multo minus traditurus lupis: sed si libet me interficere, hic in templo aut gladio, aut haste cuspide, me trucidate. Paratus sum omnia libenter perpeti, quæcumque DEUS permiserit.* Atque eandem animi fortitudinem

tudinem etiam contra haereticos, aliosque mascule
 praestitit, quod prolixè admodum, si rei necessitas id
 postularèt, demonstrare possem. An vero aliam men-
 tem a Candidato nostro expectaremus? Id certe non
 permittit nobis ejus animi Candor, pietatis Zelus, ortho-
 doxae notitiæ firmitas, et cor soli Christo constanter
 dedicatum. Optime novit, Salvatori suo non alium ser-
 vum acceptiorem esse, quam qui et fidelis, & constans,
 et fortis usque ad mortem pro eius gloria & honore
 certaverit. Neque enim arundo est quovis fortunæ
 flatu hinc illinc mobilis, sed rupis instar, quantacunque
 sit tempestas, quanta ventorum rabies, quanta fluctuum
 magnitudo, quanta tempestatis varietas, quantus ful-
 guris horror, et quantus tonitru fragor, idem manebit
 perpetuo. Novit enim Eum, qui ejus tutor & defensor
 est. Eodem nifus, nunquam confundetur. Quin &
Constantia & Patientia Ambrosii nunquam satis celebrari
 potest: utraque enim insigniter valuit. *Calligonus*, Im-
 peratoris Valentiniani minister a cubiculo, intimæque
 admisionis, sæpius eidem insultabat, hostiliter rogitans:
Tu, me vivo, contemnis Valentinianum? Caput tibi auferam
& vitam. Accipe vero Ambrosii responsionem, Con-
 stantiam ejus & Patientiam perspicue prodentem: *Uti-*
nam, ajebat, impleas, quod minaris. Ego lubens patiar, quod
Episcopi est: tu facias, quod Spadones solent. Episcoporum quip-
pe est adversa quævis perpeti potius, quam commisso gregi un-
quam paterna sollicitudine, præcipue in iis, quæ necessaria sunt,
desse. Simili modo, postquam contra Arianos, & Justinam
 Augustam multa in templo disputasset, atque fidem ortho-
 doxam adversus aliorum blasphemias fortiter defen-
 disse, a Valentiniano juniore jussus templum egredi, re-
 spondebat: *Lubens quidem id non fecero: neque enim lupis*

B

ovium

ovium caulam proditurus sum, neque blasphemis templum commissurus. Quod si necare me cupis, in ipsa Ecclesia in me esse, aut cuspidem stringe, perlibenter enim cadem eam laturus sum. Testis hujus rei Theodoretus, gravis profecto Autor, est. Et cui, obsecro te, ignotum est, quam constantem & patientem se adversus Theodosium, aliosque præstitit. Eundem enim ob injustam cædem præcipitanter nimis perpetratam, ne templum ingrederetur, prohibuit, ejusque favorem erga Judæos nimium, graviter redarguit, eumque ad seriam pœnitentiam adegit. Plura, ne prolixiores simus, ultro præterimus. Eandem quoque Constantiam atque Patientiam a Nostro expectamus Concionatore Aulico Primario, id quod animi ejus bonitas & constantia certo nobis pollicetur. *Augustinus*, cum multa in Ambrosio laude digna observasset, & celebrasset, id imprimis notatu dignum, Lib. VI. Confess. cap. 3. Posteris reliquit, quantam industriam & attentionem in legendis Scriptis adhibuerit: *Quando legebat Ambrosius, scribit, oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur, vox autem et lingua quiescebant. Sæpe, cum adessent alii, (non enim vetabatur quisquam ingredi, neque venientem annunciari mos erat,) sic eum legentem videbant tacite, & aliter nunquam: sedentesque in diuturno silentio, (quis enim tam intento oneri esse auderet?) discedebant.* Atque id præcipue fecit, quoties sacras literas legit. Et eam quoque industriam adhibere Noster solet, partim ne tempus perdat, partim ut sententiam scriptoris genuinam felicius percipiat, partim ut aliis exemplum, quod imitentur, præbeat. Sed quis omnes Ambrosii virtutes, quæ tot & tantæ sunt, paucis adeo paginis enarret? Tantus igitur vir cum fuerit, par erat, ut maxima ejus esset *Autoritas*. *Augustinus*, paulo ante laudatus, qui-

quique intime eum noverat, ita de eodem Lib. IV. Confess. cap. XI. *Tante apud omnes Ambrosius autoritatis fuit, ut ne hostes quidem eum vel ledere, vel reprehendere auderent. Ipse, quin etiam Pelagius nihil in illius libris, quod reprehendi possit, esse dixit.* Id vero præcipue a Deo erat, qui & autoritatem ei, & tutelam mirifice præbebat. Mira hac de re narrant ii, qui vitam ejus descripserunt, præcipue *Paulinus*. Rem breviter attingemus. Mortua Justina quidam aruspex, Innocentius nomine, non re, in causa maleficiorum cum a judice torqueretur, aliud, quam interrogabatur, fateri cepit. Clamabat enim ab Angelo majora tormenta sibi adhiberi eo, qui custodiret Ambrosium, quoniam temporibus Justinæ ad excitanda odia populorum cacumen tecti Ecclesiæ conscendens, media nocte sacrificaverit: sed quanto instantius et sollicitius opera maligna exercuerit, tanto magis Ambrosium a populo fuisse amatum. Misisse se etiam dæmones, qui illum occiderent; Sed dæmones renunciaffe, se non solum ad ipsum appropinquare minime posse, verum etiam nec ad fores domus, in qua manebat Episcopus, pervenire quivisse, quia ignis insuperabilis omne illud ædificium impleverit, ut etiam longius ab eo remoti urerentur. Uti vero mali Angeli, Deo id curante, Ambrosio non potuerunt nocere, ita e contrario boni Angeli quovis modo ipsi adesse & prodesse fategerunt. Narrat *Ivo in Chronico*, quendam Ariannum sub Concione Ambrosii Angelum vidisse, auribus ejus adstantem, & ea, quæ dicenda essent, suggerentem. Repetenda hic quædam ex *Paulino*, qui Ambrosii vitam scripsit, sunt: *Donatus quidam*, ait, natione Afer, Presbyter Ecclesiæ Mediolanensis, cum in Convivio sedens, in quo erant nonnulli religiosi viri, detraheret

ejus memoriæ, subito vulnere percussus est gravi, & de eodem loco, in quo sedebat, alienis manibus sublevatus, in lectum est positus, atque inde in sepulchrum usque perductus. Ecce vindicem Dei manum Ambrosium mire defendentem! Nec minora nos expectamus, si qua occasio id requireret, a Deo, ejusque ministris, in tuendo, & vindicando Pippingio nostro. Implebitur in eo, quod *Hymnus pius & antiquus* canit:

*Quando crudeles alios tyrannos
Sæpius dirus furor incitarvit,
Ut sacro siccas repleant piorum
Sanguine fauces.*

*At Vetat cætus sacer Angelorum,
Qui pios circumvolitant frequenter,
Et manus nostras alacres in hostes
Vindice pugnant.*

*Hinc nihil pactis Epicurus armis,
Qui sedet Romæ, infatuatque reges,
Hinc nihil nobis inimicus omnis
Efficit hostis.*

Quanquam vero in his, plurimisque aliis, Ambrosio similis noster Pippingius sit, in eo tamen simillimus videbitur, si electionem & vocationem utriusque paucis comparabimus. Miranda prorsus & divina Ambrosii electio est. Recitat eam *Socrates* Lib. IV. Hist. Eccl. c. 30. Mortuus erat *Auxentius*, Mediolanensium Episcopus,

pus, & eligendus ei successor. Accidebat autem, ut eligentes inter se dissentirent, alii enim alium volebant, & quidem non absque contentione & rixa. Cum igitur eam ob rem orta esset seditio, verebatur Ambrosius, tunc Provinciæ Præfectus, ne mali quid ex ea perturbatione nasceretur, ad templum compescendæ seditio- nis gratia properat. Et cum ex ejus persuasione populus quiesceret, subito exoritur consensus omnium, & communis clamor: Ambrosium Episcopatu esse dignum, & statim, ut ordinetur, sollicitant, hoc enim pacto universum populum esse uniendum, fideique concordiam reducendam & confirmandam. Dicitur factum. Ambrosius a præsentibus Episcopis more Apostolico solemniter ordinatur, & Episcopus Mediolanensis constituitur. Id cum indicaretur Imperatori Valentiniano, consentit & ipse, vocationemque & ordinationem confirmat, & Episcopis mandat, *ut Deo serviant, qui hunc ordinari jusserit. Esse enim electionem illius Dei magis, quam hominum.* Nunc vero comparet quisvis fata Ambrosii, cum fatis nostri Pippingii, & vero inter eos insignem similitudinem reperiet. Mortuus erat *Carpozovius*, æterni nominis Theologus. E vita excefferat *Seligmannus*, focer Pippingii amantissimus, cujus fama nunquam interibit. Legendus erat alius, iisdem simillimus. Magnæ molis erat res tanti momenti. Vota precesque fundebantur, ut Deus eum nobis monstraret, & donaret, & repetebantur, sed exitus rei anceps atque dubius erat. Jam huc, jam illuc sapientiores oculos & mentes convertebant, sed digitus Dei se nondum manifestabat, usque dum REX, REGINA, MATER REGIA, & qui in eodem negotio laborabant, unanimi consensu, & mira quadam Concordia, in Pippingium nostrum consen-
B 3 tiunt,

tiunt, mente, lingua, & manu testantes, eum munere, ad quod vocandus erat, esse dignum. Ipse vero, quamquam maluisset, alteri cuidam onus illud impositum esse, voluntati tamen Dei & Regis obsequi, quam oneri se tanto subtrahere, maluit, Deo confidens, fore, ut vires sibi sufficientes ex gratia sit largiturus, quo tanto munere, uti par est, fungi possit. *Esse enim electionem hanc Dei magis, quam hominum, pie credit.* Cumque ejus Antecessores SS. Theologiæ DOCTORES, recte riteque creati fuerint, decorum esse existimavit, si & ipse eodem dignitatis & honoris gradu exornaretur. Eum in finem ad nostram Academiam, LUTHERIQUE CATHEDRAM, se contulit, ut a nobis illud ornamentum acciperet. Eundem in finem post expedita feliciter Specimina, quæ DOCTORATUM antecedunt, nuper admodum a nobis SS. Theologiæ LICENTIATUS legitime constitutus atque proclamatus fuit. Restabat igitur, ut & solennissime SS. Theologiæ DOCTOR proclamaretur. Ad negotium hoc rite expediendum dictus est dies. XXVI. Aprilis, quo in Templo Academico, horis consuetis, quod DEUS clementissime faxit,

Sub faustis Auspiciis Serenissimi, Potentissimique Domini,

DN. FRIDERICI AUGUSTI,
REGIS ET ELECTORIS, DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET VVESTPHALIÆ, S. ROMANI IMPERII ARCHIMARESCHALLI, LANDGRAFII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAFII MAGDEBURGENSIS, COMITIS PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICI, COMITIS MARCHÆ, RAVENSBERGÆ ET BARBY, DOMINI RAVENSTEINI ETC. ETC. ETC.
DOMINI NOSTRI CLEMMENTISSIMI

Rector



Rectore Universitatis Magnificentissimo, Serenissimo, Principe ac Domino,

DOMINO
FRIDERICO AUGUSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECTORATUS
SAXONICI HÆREDE, DUCE SAXONIÆ,
JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET
WESTPHALIÆ &c. &c. &c. DOMINO NO-
STRO INDULGENTISSIMO,

Pro - Rectore Magnifico,

Viro Summe Reverendo, Amplissimo, atque Excellentissimo, Domino GOTTLIBIO WERNSDORFIO, *Doctore*
& Professore Theologo Celeberrimo, Alumnorumque Electoralium
Ephoro Gravissimo, Collega & in Christo Fratre honoratissimo,

a me, Pro - Cancellario & Decano,

CASPARE LOESCHERO,

Potestatem publice renunciandi ex Imperatoria, Regia atque
Electoralis Auctoritate, more rituque antiquo, obtinebit Vir Sum-
me Reverendus, Magnificus, Amplissimus & Excellentissimus
DN. JOHANNES GEORGIUS NEUMAN-
NUS, *SS. Theol. Doctor, ejusdemque Professor Publicus,*
Templi Academici Præpositus, & Consistorii Ecclesiastici Assessor
Vigilantissimus & Spectatissimus, Collega, Compater, & in
Christo Frater plurimum æstimandus,

Viro

*Viro Summe Reverendo, Magnifico Amplissimo
atque Excellentissimo,*

DOMINO

HENRICO PIPPINGIO,

*Lipsiensi, SS. Theol. Licentiato, & hucusque Ecclesiastæ in Pa-
tria ad D. Thomæ Vespertino, nunc vero Sacrorum in Aula Re-
gia & Electorali Antistiti Primario, ut & Consiliario Ecclesia-
stico rite vocato, Viro de Ecclesia Christi jam dudum præclare
promerito, nobisque sincere faventi,*

Summos in SS. Theologia Honores, cum universis In-
signibus, Privilegiis, & Ornamentis, quibus DOCTO-
RES Theologiæ ornantur & fruuntur, publice, decen-
ter, & solenniter in amplissima panegyri splendidissime
concedendi, & conferendi. Ut vero solennis hic publi-
cusque Actus eo spectatior evadat, ad eundem oran-
dum, & celebrandum, *Magnificum Dn. Academia PRO-
RECTOREM, universos Universitatis Conscriptos Patres,
omnesque & singulos omnium Ordinum hospites*, eo, quo de-
cet, cultu, obsequio & humanitate invitamus, speramus-
que, eos eo majori frequentia affuturos, quo major est
DN. DOCTORANDUS, & quo Actus hic eo rarior æstimandus erit, quoniam Academia nostra parem
nunquam habuit, & fortassis nunquam habitura est.
Faxit autem SS. Trinitas, ut omnia feliciter, fauste at-
que fortunate fiant, per Jesum Salvatorem nostrum! P. P.
die XXIV. Aprilis, A. E. C. M DCC IX. in Universitate
VVittebergensi.

WITTENBERGÆ,
LITERIS GERDESIANIS



Wi. Humbert, Diss., 1703
H-7


ULB Halle 3
005 361 788



5b

W 178





15.

17

C. D.

AVSPICIIS

RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI QVE PRINCIPIS AC DOMINI,

DN.

FRIDERICI AVGVSTI,

ELECTORATUS SAXONICI HEREDIS
ETC. ETC. ETC.

SUB

MAGNIFICO PRO - R
DOMINO

GOTTLIEB WERN

DOCTORE THEOLOGIÆ
STIPENDIATORVM
EPHORO VIGILANTI

SOLENNIA DOCT

D. XXVI. APRILIS. A. E

WITTENBERGÆ IN TEM
PVBLICE CELEBRAN

INDICAT, HOSPITESQVE OMN
DECENTER AD

INVITAT,

CASPAR LOES

SS. TH. DOCTOR, EIVSQVE F
FACULT. SVÆ, VT ET CONSIST. ECC

WITTEB. PASTOR, ELECT. CIR
GENERAL. ET ORD. T

DECANVS

*Collatus cum Ambrosio Pip
prælatus.*

